

Joachim Heinrich Pries


**Natvram Iesv Christi Divinam E Nomine Filii Dei Probat, Et Ferias Natalitias : Pie
Ac Religiose Celebrandas Civibus Academiae ...**

Rostochii: Litteris Adlerianis, [1782]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1838254404>

Druck Freier  Zugang





Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker

[https://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1838254404/phys_0001](https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1838254404/phys_0001)




ZfB ME

05. AUG. 196

● entsäuert

Ms. b. h.
2972



0 6
NATVRAM IESV CHRISTI DIVINAM

E NOMINE FILII DEI

PROBAT,

ET

FERIAS NATALITIAS

PIE AC RELIGIOSE CELEBRANDAS

CIVIBVS ACADEMIAE O. O. HONORATISSIMIS


PRO OFFICII RATIONE

COMMENDAT

IOACHIMVS HENRICVS PRIES,

THEOL. PROF. ORD. ET AD AEDEM SP. S. PASTOR.

ACADEMIAE P. T. R E C T O R.



ROSTOCHII,
LITTERIS ADLERIANIS.

1782. W.

NATURAM IESU CHRISTI DIVINAM

E NOMINE FILII DEI

PROBAT

ET

FERIAS NATALITIAS

RE AC RELIGIOSE CELEBRANDAS

CIVIBUS ACADEMIE Q. HONORATISSIMIS

PRO OFFICIO RATIONE

COMMENTAT


IOACHIMVS HENRICVS PRIES

THEOL. PROP. ORD. ET AC. VEDEN. P. L. PASTOR.


ACADEMIAE R. T. R. E. C. T. O. R.



ROSTOCKII
LITTERIS ADLERIANIS




Diu multumque disputatum est de nomine Filii DEI, nec inter omnes interpretes conuenit, quam ob causam rot sacri Codicis oraculis Saluatori nostro illud imponatur. Filium ista appellatione intelligendum esse proprium, ab aeterno ex essentia Patris genitum, huic *ὁμοῦσιον*; firmum hinc inde illi inesse argumentum pro euincenda thesi, quod IESVS CHRISTVS non homo tantum, sed verus simul et summus DEVS sit; quouis tempore Ecclesiae doctoribus plurimis probatum est: sed nec defuerunt a multis retro seculis, qui eam denominationem aliunde repetendam esse arbitrati sunt. Arduum S. S. Trinitatis mysterium reiicientibus proferendae erant ad negandam naturam IESV CHRISTI vere diuinam rationes, cur ita compelleretur, a modo dicta diuersae; atque Arium cum affectis de Filio DEI, ex eorum placitis re creata omnium nobilissima et praestantissima, cogitasse non nisi eminentiori sensu, quo simul Spiritus a DEO ortum ducentes Filiorum DEI nomine veniunt, inter omnes constat. Sociniani Redemptorem ita dici perhibent ob immediatam naturae eius (quam humanam solam enunciant) in utero virginis Mariae a DEO productionem; ob praecipuum et vere paternum, quo in illum DEVS fertur, amorem; ob eius similitudinem cum DEO quoad sanctitatem, potentiam, sapien-



pietiam et immortalitatem; segregationem ad munus illustrissimum et missionem in mundum, resurrectionem atque exaltationem, qua hereditatem Patris sui caelestis adiit etc. a). Quae eadem ratione postea in Anglia, et ex quinque fere lustris in Germania denuo dicta sunt, vberius non expono, quum et satis nota sunt et longius a re me amouerent: id tantum monco, esse Theologos e nostris, qui, Deitatem Redemptoris veram et summam omnino profitentes, nomen tamen Filii DEI non naturae; sed personae atque officii, (Synonymum MESSIAE.) reputant, et probationem, pro adstruenda diuina IESV CHRISTI natura exinde desumptam, lubricam et minus certam declarant b).

Suppetunt quidem nobis argumenta alia dilucida, quibus Deitas IESV CHRISTI summa abunde satis probatur c), nec adeo solliciti sumus opus est, fidem nostram in Saluatorem Θεὸν Ἰησοῦν firmo non amplius stare fundamento, etiamsi conclusiones e nomine Filii DEI ductae ferri non possent; iniquum quoque foret ac praeposterum veritatis defendendae studium, vitio vertere Theologis, ob eruditionis famam atque in scientias sacras merita omni veneratione dignis, si mentem suam defensu quorundam S. S. effatorum ingenue atque liberaliter profiterentur,

- a) Vid. SOCINVS in explicat. Initii Euangelii IOHANNIS ad Cap. I, 14. Operum Tom. I. pag. 89. seqq. et in Instit. relig. Christianae Tom. I. pag. 654. CRELLIUS Libr. I. de vno DEO patre Sect. II. Cap. 31. WOLZOGEN in Praeparat. ad vtilem lectionem librorum N. T. Cap. XI. ENIEDINVS in explicationibus locorum veteris et Noui Testamenti, est, quibus Trinitatis dogma stabiliri solet; passim, in primis pag. 56. 118. 128. 177. 203. seqq. Catechesis Racouien- sis Qu. 166.
- b) Post HEILMANNVM in programmate Paschali Göttingensi 1753. de ratione, qua IESVS sua ex mortuis ἀναστει MESSIAS demonstratus est, recentius ita iudicauit Ven. IOH. CHRISTOPH. DOERLEIN in Instit. Theologi Christiani P. I. §. 105. Obs. I.
- c) Conferri merentur Vener. SEILERSVS Von der Gottheit Christi, et DANOVII Diss. s. t. locorum quorundam S. S. diuinitatem IESV CHRISTI probantium explanatio, Ienaë 1774. vt plures taceam.



fitentur, illa aliter interpretantur ac vulgo fit, et dum veritates reuelatas sancte tenent, de parte tantum argumentorum, quibus confirmari illae solent, dubia mouent. Interim quum aequae minus probationes idoneae et certae repudiandae, quam leues et ficulneae admittendae sunt, eam nobis eripi non patiamur, cui idem quam aliis pondus ac pretium ad demonstrandum dogma statuendum est. Ita saltem ego quidem de nomine Filii DEI ad euincendam naturam IESV CHRISTI diuinam iudico; quibus rationibus motus, lectores videant.

Eas autem antequam proponam, quaedam praemittam necesse est, quae argumento nostro obstare videntur. Plures nomini Filii DEI in Codice sacro subesse significationes, nemo sane inficias ibit, atque absonum foret asserere, quod vbiuis de natura Redemptoris diuina illud explicandum sit. Etenim primo de iis occurrit, qui DEO in primis commendari sunt, et quos singularibus amoris sui documentis ornat. Hoc sensu populus Israëliticus nominatur filius DEI Hof. XI, 1. Ierem. XXXI, 20. Ies. I, 2. quid? quod primogenitus Exod. IV, 22. 23. et PAVLLVS illi attribuit *υιοθεσιαν* Rom. IX, 4. Toties deinde ex eadem ratione ita vocantur fideles, quorum intuitu etiam addenda est mentis cum DEO similitudo 2 Cor. VI, 18. Rom. VIII, 14. Matth. V, 9. 45. Luc. VI, 35. Gal. III, 26. Ebr. XII, 5—8. etc. Regibus porro et magistratibus, DEI imaginem in regimine et iustitiae administratione referentibus, prae reliquis hominibus dignitate et honore conspicuis, illud imponitur, hique tum *אֱלֹהִים* quam *בְּנֵי עֵלְיִן* audiunt Exod. XXI, 6. XXII, 28. Ps. LXXXII, 6. coll. Ioh. X, 34. Adamo tribuitur, quia immediate a DEO creatus est; Luc. III, 38. *τὸ Θεὸν* vocatur, scilicet *υἶος*, vt antecedentia docent *d*) et denique eadem appellatione insigniuntur angeli ob illustriorem eorum naturam Iob. I, 6. Luc. XX, 36. etc.

Quae quidem si ad IESVM transferuntur, concedendum est omnino, ab ipso ea omnia non esse aliena; sed falso concludere.

d) Vid. BEVMANNI Erklärung des N. T. ad h. 1.




cluderetur, quum nomen Filii DEI Redemptori tribuitur, vnam tantum harum rationum, vel plures simul, non vero aliam ab adductis adhuc diuersam locum habere posse. Plura exinde cogi nequeunt, quam magis minusue splendida ac gloriosa notione denominationem istam sumi. Quo vero sensu de IESV dicatur, aliunde decidendum est.

Vsu quoque loquendi, CHRISTI tempore inter Iudaeos solito, inualuisse eam de Filio DEI ideam, quae vocabulo MESSIAE aequipollet, dubio vacat. Consequitur huius assertionis veritas tam ex iis, quae de inimicis; quam etiam, quae de discipulis IESV CHRISTI durante statu eius humili in terra legimus. Iudaei quum Redemptori in cruce pendenti illudunt, permūtant vocem Filii DEI Matth. XXVII, 40. 43. cum Rege Israëlis v. 42. Marc. XIV, 31. 32. et cum CHRISTO Marc. XIV, 32. electo illo DEI (τῷ τῆς Θεῆς ἐκλεκτῷ) Luc. XXIII, 35. Eosque non ex plebe tantum, sed ex proceribus etiam fuisse, MARCVS et LVCAS locis citatis docent. Praeter ea quaestio, IESV, quum coram iudicio staret, a Pontifice maximo et Synedrii assessoribus proposita, a MATTHAEO Cap. XXVII, 63. et MARCO Cap. XIV, 61. effertur; *num es CHRISTVS Filius DEI* (altissimi MATTHAEVVS addit)? a LVCÁ contra ea Cap. XXII, 67. Synedrium dicitur e IESV quaesivisse, *num es CHRISTVS?* et postquam IESVS responderat, nec nomine Filii DEI in responsione vsus erat, illi acclamatur: *Tu ergo es Filius DEI!* (σὺ εἶ οὗτος τῆς Θεῆς). Non quoque repugno iis, qui contendunt, Iudaeos CHRISTI tempore MESSIAE Diuinitatem ne quidem cognovisse. Inerat illis expectatio regni terreni, a MESSIA instaurandi, quo eos a Romanorum potestate liberaret, et ad hoc sufficiebat potentia ac sapientia humana. Insuper non explicabitur, qui fieri potuit, vt Pharisaei et Scribae Matth. XXII. altum silentium teneant ad quaestionem a IESV datam, quam apud nos puer absque haesitatione expediet: qui CHRISTVS sit DAVIDIS Filius quum DAVIDES eum vocet suum Dominum? Odio in IESVM difficultas non tollitur; etenim eum pro Redemptore promisso non repu-

reputabant, et qui IESVM reuereretur MESSIAM, anathemate dignum declarabant Ioh. IX, 22. ingenue hinc inde dicere potuissent, MESSIAM venturum DEVM esse summum, ideoque DAVIDIS Dominum. Ad discipulos IESV quod attinet, illi quidem omni dubio procul durante statu humili Redemptoris eandem cum nomine Filii DEI notionem coniunxerunt. Confessio PETRI Matth. XVI, 16. *Tu es CHRISTVS, Filius DEI viui* a MARCO Cap. VIII, 29. omisso nomine Filii DEI viui solummodo exprimitur: *Tu es CHRISTVS*, vnde inferre licet, PETRYM adiectione Filii DEI viui explicationem modo suppeditasse nominis CHRISTI; IESVS quoque Matth. XVI, 20. priorem confessionis partem non speciatim attendit, sed discipulis tantum interdicit, vt nemini dicant, quod sit CHRISTVS. NATHANAEL Ioh. 1, 50. Redemptori acclamat: *Tu es Filius DEI, Rex Israëlis*, quanquam a PHILIPPO v. 45. modo perceperat, IESVM esse eum, de quo MOSES et Prophetae scripserunt, id est, MESSIAM, et reliqui Apostoli quoque tantum de MESSIA, quem inuenerunt, loquuntur, vid. v. 41. MARTHA Ioh. XI, 27. fidem in IESVM confitetur, quod sit CHRISTVS Filius DEI; si verohoc elogio Deitatem summam celebrare voluisset, scrupulis sane, quos v. 21. et 39. legimus, agitari non potuisset e).


Interim ex neutro horum ad infringendum nostrum argumentum aliquid elicitur. Quisnam a Iudaeis, quorum errorneas

e) Loca, quibus genii mali IESVM nominant Filium DEI, hic non affero, quanquam a pluribus fit. In tentatione Redemptoris Marth. IV. 3. 6. Luc. IV, 3. 9. voce filii DEI diabolus Deitatem efferre non videtur, quia a IESV adorationem postulat, illi mundi regna promittit, et angelorum tutelam proponit, ad facinus audentum, quo se praecipitem e templo daret. Nimis abscondita haec sunt, nec a spiritu verofuto et callido, qualis diabolus vbivis in S. S. sinitur, expectanda, si IESVM reputasset DEVM. Ex obsessis autem quum loquuntur caco-daemones, interdum eos Diuinitatis ideam vocabulo iunxisse crediderim, in primis in effato Matth VIII, 29. quo poenas a Filio DEI extimescunt. Conf. Iac. II, 19. Petinde est, quidnam in re incerta statuatur: cognitio diaboli eiusque sociorum ad inueniendum verum S. S. sensum in aliis oraculis nil confert,




roneas falsasque repraesentationes toties Redemptor carpit, notiones discet, cum Scripturae Sacrae verbis coniungendas. Quod MESSIAE Diuinitatem non cognouerint, insigni illis est dedecori. Tot exstant in V. T. vaticinia, Ies. IX, 6. Ps. XLV, 8. Ies. LXI, 1. Ps. CX, 1. etc. quorum sensum verum illorum Patres assecuti erant, atque oraculum vltimo loco positum IESVS ipse ad turpem inscitiam depellendam illis proponit Matth. XXII, 43. Qua ratione factum sit, vt sensum Iudaei notitiam Diuinitatis MESSIAE non attenderint, facile explicabitur. In Psalmo secundo vere MESSIANO, quicquid etiam pro tuenda contraria opinione superiori aevo dictum sit, et nostra aetate a multis proponatur, CHRISTVS (יֵשׁוּעַ) proponitur simul Rex et Filius DEI. Ambas has ideas ex illo tempore inter se miscuerunt, quo liberationem a seruitutis Romanae iugo optarunt, eamque spem quam de MESSIA conceperant, omnia nomina in Psalmo obuia voci MESSIAE aequipollentia reputarunt. Discipulis IESV hinc inde, quum eius vocem audirent, seque illi committerent, eadem notio obuersabatur, et Redemptor, sensum ad meliorem illos notitiam ducens, mature quidem vim nominis Filii DEI illustriorem illos docuit, sed, vt in reliquis veritatibus, praeiudicatis illorum opinionibus contrariis, proposita non ceperunt. Luc. XVIII, 34. Interim de IOHANNE Baptista certum est, statim illum notitiam de MESSIA, eiusque natura humana altiori habuisse, vt ex eius verbis Ioh. I, 27. 30. coll. 34. nimis lucide apparet. IESVM que notionem de Filio DEI, a Patribus et Doctoribus Iudaeis Apostolis traditam institutione sua emendare studuisse, aequae patet ex exemplo THOMAE, qui illius recordatur, quod a IESV ante mortem acceperat, et clarissimum testimonium de notitia Diuinitatis exhibet Ioh. XX, 28. quam sequentia illud extra omnem dubitationem collocabunt.

Adsunt nimirum testimonia a IESV ipso, quibus Filii DEI nomen sibi tribuit ea ratione, vt plura inferat notione MESSIAE, nec nisi ad diuinam eius naturam pertinere possit. De iis, quae exstant in Euangelio IOHANNIS, primo dispiciamus. Cap. V, 16. Iudaei improbi consilia capiunt nefanda de




de occidendo Redemptore, quia homini per triginta octo annos aduersa valetudine afflicto sabbati die sanitatem pristinam restituerat; et quum IESVS v. 17. responderet, *Pater meus adhuc operatur, et ego quoque operor*, (vim meam, sicut Pater, ad conseruandum genus humanum operaque beneficia atque egregia peragenda pro lubitu confero); maligni isti homines eo magis de eius interitu meditantur v. 18. quia non soluisset solum sabbatum, sed DEVM quoque SVVM Patrem nominet, atque aequalem se DEO faciat (ὅτι ἔ μόνον ἔλυε τὸ σάββατον, ἀλλὰ καὶ πατέρα ἰδίον ἔλεγε τὸν Θεόν, ἴσον ἑαυτὸν ποιῶν τῷ Θεῷ). Ratiocinantur, vt in promptu est, e v. 17. IESVS aequalem se facit DEO, quia eandem de se profiretur potentiam, quae DEO soli, vt dicit, Patri suo, competit, nullis terminis circumscriptam, nullis legibus subiectam. Atque hanc quidem argumentationem Redemptor reiiciat, tantum abest, vt potius eam inde a v. 19. confirmet, seque Filium DEI, ob naturam diuinam, propriam et naturalem, Patri suo ἰσῶ aequalem, pronunciet. Summa orationis suae eo redit: eximium quidem esse opus, quo misero homini sanitatem reddidisset, potentiam sibi inesse diuinam demonstrans; fore autem, vt Pater per illum magis illustria in illorum admirationem et stuporem ederet (v. 19. 20.). Resuscitationem mortuorum ex ipsis Iudaeorum placitis actionem esse a solo DEO peragendam 1 Reg. XVII, 21—23. 2 Reg. IV, 31—34. comperturos esse auditores, quod ex mero beneplacito et voluntate propria, quemadmodum Pater, quosdam mortuos, dum cum illis versaretur, in vitam reuocet (v. 21.) diem vero etiam instare; quo omnes et singulos homines e sepulcro educeret (v. 25. 26. 28. 29.). Iudicium extremum pariter esse actionem diuinam, illud vero tandem aliquando non a Patre exerceri; Filio esse datum, quia simul homo sit, et specie visibili, corpore humano, se iudicem sistere mundo possit (v. 22. 27.). Aequalem hinc inde cultum, qui Patri, (cultum soli DEO exhibendum, Ies. XLII, 8. Exod. XX, 3—5.) Filio etiam praestandum esse (v. 23.). Verum quidem est, MESSIAM hic loqui, et de CHRISTI persona valere, quod miracula patet, re-

B
fusci.



fuscitet mortuos et iudicium exerceat; sed ex professione IESV
 ea omnia rationem habent in eo, quod MESSIAS Filius
 DEI fit, et haec est causa, cur sibi, legato suo, Pater tantam
 concedere potuerit potestatem, tantumque cultum DEO soli
 debitum. Statim adiungamus similem locum e Cap. X, 31-39.
 quo Redemptori itidem res cum Iudaeis est. Perierant hi ex
 illo, ut libere dicat, si MESSIAS esset (v. 24.), et IESVS re-
 sponder: iam dixi vobis in antecedentibus (parabola de bono
 pastore) quod sim; possertis ipsi quoque ex actionibus meis
 idem colligere; sed credere non vultis, quia ex ouium mea-
 rum numero non estis. Repeto, quod bonus ille Pastor a Pro-
 phetis praedictus (MESSIAS) sim; dabo ouibus meis vitam
 aeternam, nemo ex meis Patrisque mei manibus eas eripiet,
 ego enim et Pater VNVM sumus (v. 25-30). Tot quidem
 interpretes enunciationem vltimam de vnitatem modo mentis
 et consensus explicant, sed nedum, hac ratione quemuis lega-
 tum diuinum firmum ac fidum cum DEO dici posse VNVM,
 quia in exsequendis officii sui partibus cum DEO consentit,
 id quod nec de MOSE, nec de aliis Prophetis vlllo loco legimus,
 subsequencia nimis aperte altiozem sensum postulant. Iudaei
 ob elogium: *Ego et Pater VNVM sunt*; lapidibus IESVM
 obruere volunt, et quum Redemptor ait: *quomodo lapides tollere
 potestis, tot bona, nil mali, inter vos peregi*; nil contra me proferre
 poteratis, quum vos prouocarem Cap. VIII, 46. ob quodnam
 operum illorum lapides in me conicere intenditis? respondent: *ob
 bonum opus lapidibus TE non insectamur, sed ob blasphemiam,
 quia, TV quum homo sis, facis TE ipsum DEVM*. Sermo-
 nem itaque, quo IESVS se (Filius DEI) cum Patre VNVM
 declarauerat, de vnitatem naturae atque essentiae explicant
 (*facis TE ipsum DEVM, quum homo sis*). Et IESVS respon-
 sione inde a v. 34. interpretationem probat. Argumentatur:
 etiamsi id, quod dixi, veritati non conueniret; etiamsi non
 idem essem qui Pater, ramen blasphemum me iniuste nomi-
 naretis, quum adeo Deorum nomen in V. T. rebus creatis
 imponitur. Sed eminentissimo sensu, eo quem vos assumitis,
 VNVM cum Patre me declaro, sum Filius DEI, ad munus
 media-

mediatorium a Patre destinatus et ad illud perficiendum de caelo in hunc mundum missus (ὃν ὁ πατήρ ἠγάπησεν καὶ ἀπέστειλεν εἰς τὸν κόσμον), et opera mea ostendunt, quod veritatem dicam. His fidem habeatis, vt agnoscatis, et credatis: *Patrem in me, et me in Patre esse.* Quae quidem phrasis quid sibi velit, PHILIPPO Apostolo clarius a IESV ostenditur Cap. XIV, 9. 10. *Qui vidit me, vidit Patrem; ego in Patre, et Pater in me est;* vnde consequitur, Patrem non tantum per Filium operari, sed Filium etiam cum Patre nexu intimo, et per naturam, coniunctum esse. Paucis modo attingenda sunt verba Cap. III, 16, 17. quibus Redemptor se NICODEMO sistit Filium a Patre in mundum missum, hinc talem, qui prius Filius DEI fuit, quam humana natura indutus, (e muliere natus vt PAVLVS addit Gal. IV, 4.) cum Iudaeis versaretur et officio mediatorio fungeretur. Ex his iam reliquorum locorum, in IOHANNE obuicorum Cap. VI, 40. VIII, 35, 36. XI, 4. XVII, 1. 13. sensus facile diiudicabitur. IESVS vbiuis loquitur MESSIAS, sed, ob modo dicta, natura eius diuina a nomine excludi nequit. E reliquis Euangelistis quidam sermones IESV omnino adducendi sunt. Si PATRIS et FILII nomen ita coniunguntur, alterum nomen vt se referat ad alterum, nec de MESSIAE officio sermo esse possit, quid rectius inde cogimus, quam nomen FILII aliud quid exprimere, ac eum, qui munere MESSIAS sit? Ita se habet cum mandato Redemptoris paulo ante ascensionem de baptizandis gentibus dato Matth. XXVIII, 19. Si baptizare iubentur Apostoli εἰς τὸ ὄνομα Patris, Filii et Spiritus Sancti, quid per Filium intelligendum esset? si eum tanquam MESSIAM considerandum putamus, quid erit Spiritus Sanctus? Quid vero, si vt DEVS hic commemoratur, magis est naturale, quam nomen Patris et Filii non exprimere mittentem et missum MESSIAM, sed Filium non minus ac Patrem his nominibus aequae vt DEVM nominari. Quod enim ad Socinianorum explicationem attinet, de egregiis in Apostolos reliquosque Christianos donis collatis; illa omni specie destituitur. Absonum est, inter personas miscere dona, atque iussum accipere, in donorum nomen baptizare. Matth. XI, 27



coll. Luc. X, 22. verbis: *Nemo nouit Filium, nisi Pater, neque Patrem quisquam nouit, nisi Filius, et cui Filius uult reuelare*; CHRISTVS parum, et fere nihil diceret, si MESSIAE nomen in locum Filii DEI substituatur, nec arctioris Patrem inter et Filium uinculi ratio habeatur. His ita positis, e parabolis quoque de nuptiis, Filio Regis a Rege paratis Matth. XXII, 2. seqq. et de patrefamilias, unicum carissimum Filium suum ad facinorosos uinitores mittente Matth. XXI, 37. Marc. XII, 6. Luc. XX, 13. argumentum peti poterit, quum Regis et Patrisfamilias Filii naturales a CHRISTO sistantur; solitarie consideratae uero vim probandi habere non uidentur, quum similitudines in parabolis non nimium, nec ultra scopum extendendas esse, Hermeneuticae regulis cautum sit.

Haud minus in sententia hucusque proposita corroborabimur, si Apostolorum scripta euoluimus; eandem enim, quam modo probaui, uocabulo Filii DEI notionem illos subiecisse, uno pluribus effatis constat. Vno pluribus dico; de omnibus et singulis enim affirmare non audeo, saltem plena certitudine probari nequit. Offert se nobis primo epitheton *ιδιος* Rom. VIII, 32. *Θεός τῆς ιδίας υἱῆς ἧν ἐφείσατο ἀλλ' ὑπὲρ ἡμῶν πάντων παρέδωκεν αὐτὸν* illique non leuis uis ad probandam IESV CHRISTI naturam diuinam inest. *ιδιος υἱός* Graecis uocatur, qui e Patre suo genitus est, Filius naturalis; opponitur *θετός* supposito et adoptato. Multis hoc comprobauit exemplis Ven. WALCHIVS Göttingensis f), ex quibus aliqua transcribam, quum libellus academicus illa exhibens non in omnium sit manibus. „Luculentum, scribit, hanc in rem existat ueteris scriptoris, qui PINDARI carmina illustrauit, effatum a WETSTENIO in N. T. ad Rom. VIII, 32. opportune adductum. Verbis enim Poëtae Olymp. IX. 95. p. III. edit. Oxon.

εὐφρανθή δε

ιδίῶν Ἡεῶς θετῶν υἱῶν


haec

f) Diss. de Filio DEI proprio. Gött. 1766.

haec adscriptit: εὐφρανθη δὲ, φησιν, ὁ Λακρος θεασάμενος τὸν παῖδα, ὅς ἦν μὲν θετός αὐτοῦ, ἔκκατα φύσιν, ἐκ δὲ τῆς ἀγνείας ἰδίας αὐτοῦ ἐνομίζετο. Iasonem ἰδίῳ ἀδελφῶν germanum fratrem supplantasse legimus 2 Maccab. IV, 26. quem cum Onia eodem patre vsum esse Simone, IOSEPHVS Antiqu. Iud. Libr. XII. Cap. 6. prodidit. De Ptolomaeo Philadelpho Aegypti Rege, quem constat Arsinoen sororem sibi tori sociam sumfisse, HERODIANVS ait: μεχρὶς ἀδελφῆς ἰλίας ἐρώτος προχαρησας, vbi ad flagitii naturam bene exprimendam vocem ἰδίας poni, fatis patet. WETSTENIVS adhuc notavit carmen ARCHII ad hirundinem in statua Medeae nidum collocantem:

αἴαν ὄλην, νησσε διπταμένη σὺ χελιδῶν
 Μηδείης γραπτῆ πυκτιδι νοστῶτροφῆς
 ἔλπη δ' ὀσταλιχῶν πῖσιν σοο τὴν δε φυλαξείν
 Κολχιδα, μηδ' ἰδίῳν φεισαμένην τεκῶν.

cui PAVLLINVM oraculum maxime similem esse, monet., Ex prima itaque vocis ἰδῆς significatione IESVS CHRISTVS filius est DEVS naturalis, ex essentia patris genitus; et eandem quoque Iudaei Ioh. V. vocabulo iungunt, quum IESVM appellare DEVM πατερα ἰδῆον enunciant. Deinde voci ἰδῆς Θεῶ, si de CHRISTO adhibetur, adiicitur μονογενῆς Ioh. I, 14. III, 16. 18 ex quo id inferendum, IESVM nec per creationem, nec per adoptionem, nec ob similitudinem mentis cum DEO dici posse eius Filium; ex his enim rationibus multi, nec numerandi, DEO sunt filii. Praeter eαἰο HANNES dicto loco Cap. I, 14. λόγον asserit induisse humanam naturam, et orbi terrarum conspiciendam praebuisse gloriam suam, gloriam vnigeniti a Patre; quamnam autem gloriam intelligat, inde a v. I. docuit, et ad eam potissimum retulit: λόγον esse DEVM verum, summum, aeternum, omnium rerum creatorem. PAVLLVS Ebr. III, 6. MOSE seruo in domo DEI ecclesia opponit IESVM Filium, et exinde ad praestantiam IESV prae MOSE concludit. Non MESSIAE, qua talis, notio voci adhaerere potest, quia MESSIAS in V, T. quoad officium




officium suum seruus DEI appellatur Ies. LII. 13. LIII. II. Respicit PAVLLVS ad regimen domus DEI, quo MOSES seruus, IESVS Filius fungitur; id ne quum absque proprietatibus diuinis expediri nequeat, CHRISTO nomen competere qua naturam diuinam, quis negaret? Accuratiores denique nonnullarum propositionum, in quibus nomina CHRISTI et Filii DEI simul adsunt, interpretatio, nisi sensum fundere debeant nullum, nos moueant necesse est, non vnam eandemque notionem vtrique subiicere nomini. Si legimus Euangelium de IESV CHRISTO, *qui fit Filius DEI* Marc. I, 1. Rom. I, 3. 4. num credere possumus, idem hoc esse quam Euangelium de CHRISTO *qui fit CHRISTVS*; si PAVLLVS dicit 1 Cor. I, 9. DEVM vocasse Corinthios per fidelitatem suam ad communionem IESV CHRISTI, *Filii sui, Domini nostri*; num nobis persuadeamus, vocabula Filii Sui otiose nomini CHRISTI esse adiecta. Si legimus 1 Ioh. IV, 14. Patrem misisse Filium (suum vnigenitum v. 9. 10.) vt sit Saluator mundi; num explicari potest: *DEVS misit Salvatorem, vt sit Saluator*. Si PAVLLVS praedicauit; CHRISTVM esse Filium DEI Actor. IX, 20. num docuit: CHRISTVM esse CHRISTVM. Eadem ratione res se habet 2 Cor. I, 19. 1 Ioh. I, 3. 7. III, 23. V, 20. etc.

Sit, de $\omega\iota\omega$ dici Ebr. I, 2. 4. Θεός ἔθηκεν αὐτὸν κληρονόμον πάντων (DEVS constituit Filium, per quem locutus est, munere peracto in terra, omnium rerum dominum) κεκληρονόμη·εν ὀνομα διαφορώτερον παρ' ἀγγέλους elatus est, olim ἠλαττωμένος παρ' ἀγγέλους Cap. II, 7. 9. post exantlatas passiones super omnia; angeli iam illum honore prosequantur, ex quo ad DEI dextram sedet) num exinde inferendum, vt secus sentientes volunt, e nomine Filii DEI probari non posse naturam IESV CHRISTI diuinam? Id quod toti personae CHRISTI competit, toties in S. S. de alterutra modo natura praedicatur, et quemadmodum his similibusque propositionibus: *Filius hominis potestatem habet peccata remittendi* Matth. IX, 6. *Filius hominis iudicium extremum exercebit* Matth. XXV, 31. nomen Filii hominis non fit inidoneum argumentum ad probandam naturam

ram


ram IESV humanam; ita nec inuersa ratione de nomine Filii
 DEI ratione naturae diuinæ iudicandum est. PAVLLVS lucide
 satis Filium simul DEVM sistit, dum asserit, illum esse mundi
 conditorem (*ὁ δὲ καὶ τὰς αἰῶνας ἐποίησεν*) in illo ipsam quasi
 gloriam diuinam resplenduisse, DEVMque tanquam visibili
 imagine expressum visum esse (*ἀπαύραγμα τῆς δόξης καὶ
 χαρακτῆς τῆς ὑποστάσεως Θεοῦ*) illum sua virtute res omnes,
 quorquot sunt, conseruare (*Φέρων τε τὰ πάντα τῷ ῥήματι τῆς
 δυνάμεως αὐτῆς*). Nec aliquid cogi potest ex 1 Cor. XV, 28.
αὐτῆς ὁ υἱὸς ὑποτάσσεται τῷ ὑποτάξαντι αὐτῷ τὰ πάντα;
 vnde contra nos concluditur: si Filii DEI nomen designaret
 Naturam diuinam, DEVM DEO subiici, naturamque infi-
 nitam Filii amitti dicendum esse. Sed consequentia fallit.
 PAVLLVS abunde declarauit, de quonam loquatur; scilicet de Re-
 demtore, quem vocat in eodem capite hominem, per quem
 est resurrectio mortuorum in omnes v. 21. hominem, qui simul
 est Dominus de caelo v. 47. Permutat hinc inde denominationes a
 naturis desumptas, et enunciat, mox hominis, mox Filii appellatione,
 quod CHRISTO competit, qui quoad personam Θεάνθρωπος est.
 Declarauit, in qua re versetur, nimirum in fine mundi traditurum
 esse Redemtorem regnum Patri post debellatos omnes hostes,
 saluti fidelium repugnantes; quod est regnum gratiae, redem-
 tione IESV fundatum, in fine mundi eo ipso cessans, quum
 per verbum et sacramenta in hac terra tantum administraretur, et
 personae adesse debeant, salutem adhuc exspectantes. De rela-
 tione Filii DEI erga Patrem interna nil adest. Regnum gloriae
 IESV CHRISTI esse aeternum, PETRVS docet 2 Ep. 1, 11. Dum
 Rom. VIII, 29. dicitur: DEVM fideles praedestinasse conforman-
 dos imagini Filii sui, vt is sit primogenitus inter multos fratres; nec
 hoc effato, vt credunt secus sentientes, eorum hypothesi auxilium
 affertur. Non enim defenditur, a nobis fideles assimilari a DEO na-
 turæ Saluatoris diuinæ, eoque fieri fratres CHRISTI; sed passio-
 nibus et subsequenti gloriae, si cum eo patienter calamitates perfe-
 runt vid. v. 17. Assimilantur ei, qui est Filius DEI secundum na-
 turam diuinam. Locus tandem Marc. XIII, 32. nil in contra-
 rium



rium efficiet. Nedum enim, verba: *ὁ δὲ υἱὸς* in MATTHAEO Cap. XXIV, 36. deesse, quod contra illorum authenticam haud leue mouet dubium, de Filio exinanito, nec quouis tempore perfectionibus diuinis vrente, sermo est g)

Sed filum abrumpo. Dicta sufficiunt conuictioni, omnio argumento, quod e nomine Filii DEI ad euincendam naturam IESV CHRISTI diuinam petitur, vim inesse. Conferamus iam Ciues Academiae O. O. Honoratissimi! proposita ad eo firmius tenendam summi ponderis doctrinam: puerum Bethlehemi ex MARIANA natum non hominem nudum, sed simul DEVM summum esse. Admiremur magnitudinem misericordiae, secundum quam DEVS Filio suo proprio non pepercit, sed pro nobis peccatoribus tradidit. Compellamur ad recipiendum Redemptorem fide viua. gratiasque illi agendas non ore tantum, sed corde in primis et vita sancta. Hac mente celebremus dies festos natalis IESV CHRISTI, et recordemur, venisse IESVM, vt redimat nos ab omni iniquitate, et purificet sibi populum peculiarem, bonorum operum studio accensum Tit. II. 14.


g) De I Ioh. V. phrasiumque permutatione: IESVS est CHRISTVS, et. IESVS est Filius DEI agit Ill. Michaelis in Eint. in die göttl. Schriften des neuen B. Theil 2. S. 222. num. 5. C. 1238. edit. in 4to





P. P.

SVB SIGILLO RECTORIS FERIA I. NATIVIT. CHRISTI
A. R. S. MDCCLXXXII.









Handwritten text on a light-colored label on the spine, including the number '5' and other illegible characters.



Handwritten text on a label at the bottom of the spine, including the number '1' and other illegible characters.



Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1838254404/phys_0024





ter interpretantur ac vulgo fit, et dum veritates tenent, de parte tantum argumentorum, quibus illae solent, dubia mouent. Interim quum probationes idoneae et certae repudiandae, quam ad admittendae sunt, eam nobis eripi non pariat, quam aliis pondus ac pretium ad demonstrandum est. Ita saltem ego quidem de nomine euincendam naturam IESV CHRISTI diuinam rationibus motus, lectores videant.

antequam proponam, quaedam praemittam, quae argumento nostro obstare videntur. Plures enim in Codice sacro subesse significationes, nemo negat, atque absolum foret asserere, quod vbiuis creatoris diuina illud explicandum sit. Etenim occurrit, qui DEO in primis commendati sunt, quibus amoris sui documentis ornat. Hoc sensu Iesus nominatur filius DEI Hof. XI, 1. Ierem. I, 2. quid? quod primogenitus Exod. IV, 22. 23. attribuit *υιοθεσιαν* Rom. IX, 4. Toties deinde nomine ita vocantur fideles, quorum intuitu etiam parentis cum DEO similitudo 2 Cor. VI, 18.

Matth. V, 9. 45. Luc. VI, 35. Gal. III, 26. etc. Regibus porro et magistratibus, DEI regimine et iustitiae administratione referentibus, omnibus dignitate et honore conspicuis, illud nomen *אלהים* quam *עליון בני* audiunt Exod. 28. Ps. LXXXII, 6. coll. Ioh. X, 34. Adamo immediate a DEO creatus est; Luc. III, 38. scilicet *υιος*, vt antecedentia docent *d*) et deopellatione insigniuntur angeli ob illustriorem Iob. I, 6. Luc. XX, 36. etc.

Item si ad IESVM transferuntur, concedendum est ipso ea omnia non esse aliena; sed falso concludere.

ANNI Erklärung des N. L. ad h. 1.
A 3